

Renschio (J)


Praecavendae et Curandae
pestilitatis methodus.


Leipzig.














PRÆCAVENDAE ET CVRANdæ pestilitatis methodus

Ioanne Reuſchio auctore.

LYPSIAE EXCVDEBAT
Nicolaus Fabri. Anno.
M. D. XXVII.

AMPLISSI-
MIS IVXTA ATQVE PRVDEN-
tißimis uiris & dominis Guolffgango Wideman Barptholomeo Abt et Egidio Morch &c. Consulib. Lypsensib. dignis. ceterisq; Lypsiæ ædilibus currulib. Senatoribusq; ut optimis ita de repub. benemeritiss. Ioannes Reuschius Eschenbachensis. S.P.D.

CONSTANS & peruulgata est fama, uiri Consules & Senatores amplißimi pestiferũ hostem Epidemiam deuicto Rheno subacta Polonia & maiori Saxonie parte in Misnia iam castra locasse, breuiq; futurum, ut ditionis uestræ agellos occupaturus sit. Quum itaq; Medici intersit non modo præsentem egritudinem dimouere, sed & habitam sanitatem conseruare. mearum partium esse duxi, etiamsi nullius inter medicos nominis sim, breuißima quadam Methodo docere, ut periculosiss. hostis insidiæ & uirulentiss. iacula declinari uitariq; debeãt. Quicquid ergo lucubrationis id est, amplitudini uestræ cum de doctis omnib. tum de me potißimum optime meritæ nominatim dedico. Speroq; laborem hunc meum non uobis modo, qui bonorum pastorum more apud uestros domi excubare debetis, sed & omnibus gladium tenentibus mirum in

modum profuturum, olimq́; uos omnes magno omniũ commodo testaturos hanc meam operam haudquaquã parũ aduersus seuißimi hostis insidias promouisse. Val.

PRAEFATIO.

GALENVS Medicorum post Hyppocratem princeps alicubi tradit præseruationem curationem quandam esse, parumq́; referre, si quis hoc pro illo utatur, Medicos enim operatione sua humani corporis uitia tollere, nihilq́; in præsens talem exquisitam locutionem proficere. Quum itaq́; futurorum morborũ præcustodia generatorum correctioni similis sit, planeq́; ad Medicum pertineat, uolui primum omnium, ut sanitas habita conseruari, deinde uero, ut amissa recuperari debeat, præscribere, eoq́; pacto præter usum, si quis modo nostri est, quid patriæ quidq́; amicis debeam, ostendere. Principio itaq́; præfari mihi libuit, fieri nequaq̃ posse, ut unam eandemq; uictus rationem eademq́; remedia ad cuiuslibet pestis insultum usurpes, sed principis aut magistratuum iussu cum Medicis de pestis caussa deq́; appositis aduersus eam remedijs conferendum esse, iuxtaq́; illorum ordinationem ciuitati & prouinciæ magno animo pro cuiusq; opibus prospitiendum.

DE PESTIS NOTIONE. CA.I.

Quuod itaq́; ad institutum attinet, Pestis pestilentiæ pestilitatis & Epidemiæ uoces apud Medicos sæpe

numero confunduntur. Siue enim totum hoc peſtilita=
tem peſtilentiamue aut communiori uocabulo peſtem
ſeu Epidemiam dixeris, inconfeſſo eſt eum te morbum
uelle, qui uniuerſaliter & multis peſtifer eſt ex muta=
tione aeris in putredinem uel qualitatem peßimam ob=
ortus, cuius finitio eſt, Affectus præter naturam conta=
gioſus, ex aeris corruptione in propria ſubſtantia &
qualitate cauſſatus, ſubito alios & alios uario modo
inuadens, aptuſq; inuaſum confeſtim interficere.
Hoc enim pacto uoces dictæ omnes finiri poſſunt, nemi
niq; dubium eſt, quin hac ratione peſtis intra limites
ſuos concluſa longo interuallo ab Ophtalmia, Pthiſi,
Lepra, Endimia ceteriſq; acutiſs. morbis diſtet. Si uero
cuipiam libeat anxiæ, quid peſtilentia, quid morbus peſ
tilentialis, quid peſtis, quid Epidemia, in quo concinant
rurſumq; diſcordent, expendere, ocioſos & Logode=
dalos conſulat, meum inſtitutum eſt generali peſtilitatis
uocabulo rem omnẽ ſtudioſis ob oculos ponere. Quod
ut rectius fiat, themata quædam de peſtis cauſſa pro=
ducam.

DE PESTIS CAVSSA. CA, II.

I Peſtilitatis cauſſa utplurimũ aeris mutatio eſt

II Is uero alias in ſubſtantia alias in qualitatib, ali
as mixtim in utroq; immutatur.

III Immutati aeris cauſsæ ſunt. Anni intemperan
tia, ſiderum ortus & occaſus, horumq; ſolis
uel propinquitas uel elongatio, uenti, regiones

& uapores.

IIII Caussarum uero mutati ad pestem & corruptionem aeris aliæ supernæ sunt, aliæ infernæ.

V Supernæ formæ sunt cœlestes malitiosæq́; planetarũ reuolutiones. Auenzoar enim & Auicennas contra Galeni etiam sententiam pestem diuinitus immitti concedunt.

VI Infernæ uapores sunt corrupti & infecti e terræ cauernis uel putrefactis lacubus uel demortuorum cadauerib. alijsq; putrescẽtibus rebus oborti.

VII Inter res putrescentes cemiteria, paludes in quibus linum canabis & asphaltis nõnunq̃ madefiunt, aquæ stagnantes, latrinæ, omnia clausa & fœtentia, uirulẽtia animalia, subitaria puterorum aut chasmatum apertio, cæteraq; recensentur.

VIII. E quibus rebus pestifer halitus euaporans plantas primum, deinde uolatilia quadrupediaq́;, mox ulterius serpente contagione hominẽ, mortaliũ omniũ miserrimũ dignißimumq; intoxicat. Atq́; heæ caussæ Germanis cũ omni natione cõmunes sunt.

Viciniores uero causæ peculiariterq́; ad Germanos pertinentes sunt, præcipua loci humiditas, summum gulæ studium, inordinatißima uictus ratio, assidua bibomachia, immoderatißimus Veneris aliorumq́; exercitiorum usus, Scaptensularum, quas Argentifo=

dinas uocant, frequentia, é quibus uelut é Plutonio aut Amſancto aut Auerno lacu peſtiferum halitum trahi eoq́; auaritiæ cuniculos (ut Plinij uerbo utar) derepente mori inconfeſſo eſt. Quid uero de miſera pietate dicam? qua bonorum, ſi dijs placet, Chriſtianorum more peſte affectos inuiſimus, conſolamur, cumq́; ijs negotia tranſigimus. deinde uita defunctos traditis per manus Ceremoniis ad ſepulchrum uſq; inſequimur. Huc pertinet inconſulta plærarũq́; Germaniæ ciuitatum Politia, in qua neq́; ſurrogati ſunt intoxicatorum Medici, neq́; ad conſtitutam Pharmacothecam ſcribentes, neq́; definiti, qui peſte correptis inſeruiant deploratoſq; efferant, neq́; etiam ſelecti preſbiteri, qui & confitentes audiant & ſacroſancta Euchariſtia procurent, ſed in qua funeſtæ domus patent ſemper, nullaq́; ædium & platearum ſeruatur mundities, ubi etiam tabernæ uinariæ cereuiſiariæq́; & publica balnea indiſcriminatim petuntur, porciq́; & pecudes in ciuitate paßim & aluntur & mactantur

Hijſce itaq́; de caußis infectus aer hominiſq́; conſeruandi cauſſa ſubinde ad cor inſpirando per anhelitum attractus non modo ſpiritus, qui in corde eſt, temperaturam corrumpit, ſed & reliquas in corde & pulmone humiditates ad putredinem perducit, idq́; nullo primarũ qualitatum exceſſu ſed ſola uenenoſa proprietate, accidenſq́; hoc pacto extranea præter naturam caliditas in alijs peſtiferam febrem in alijs cum febre bubones an

traces similesq́; pestiferos abscessus producit. Num autem febrim antecedat antrax aut sequatur, quotq́; modis id fiat, & an poßit sine pestifera febre carbunculus prouenire, otiosis discutiendum relinquo, nobis enim ad præseruationem & curationem accelerantibus minime uacat hæc ipsa ad amußim expendere.

DE INGRVENTIS PESTILENtiæ prognosticis CA. III.

NE autem contingat hominem uelut incautum nihilq́; minus sperantem à letifero morbo tam misere perimi, aliquot prognostica, è quibus aerem infectum esse colligitur, adijciam, ut in tempore bezoardicis medicinis sibi quisq́; prospiciat. Tum enim uehementer pestis timenda est, cum post Solis aut Lunæ defectum ignitæ impreßiones sub ipsum autumnum apparuerint, notusq́; seu auster solito crebrior spirauerit, aut cũ plus equo turbatus aer calignosas nebulas induxerit, aut cũ in Vere, quod calidũ & humidum esse debet, in suspecto frigore rarenter pluerit, nec Estas uehementer calida sed multæ conturbationis fuerit, reliquæq́; anni partes suas qualitates non probe seruauerint, aut cum interdum nunc opacum nunc serenum, nunc calidum nunc frigidum, nunc humidum nunc siccum fuerit. Mox cum auiculæ præter solitum humi gradientes & nidos & pullos deseruerint, pueriq́; uariolis & morbillis subinde laborauerint, aut quum pregnantes abor

tum fecerint, aut cum ipso abortu interierint, aut á partu Epilepsia laborantes (quod hoc anno Lypsiæ non ita rarenter contigit) oppetierint. Ad extremum quũ insecta, quæ Græci enthoma uocant, sua spontina generatione solito auctiora reddita fuerint, aut quum animantia in terræ caue rnis degentia suis specubus posthabitis in terræ superfitiem eruperint, aut cum ambiphia terram potius q̃ aquam incoluerint, piscesq; emortui subinde littoribus expositi fuerint. Hijsce itaq; similibusq; signis, ceu certißimis uenturæ pestis anteambulonibus facillimũ fuerit infecti aeris malitiam colligere.

DE PRAESERVATIONE A PESTE Idq; in sex rebus. non naturalibus CA. IIII.

REGIMEN quod Medici præseruationem dicũt, non inchoatam sed eam, quæ é productis caußis futura est, ægritudinem respicit. Quum itaq; morbi non uerbis sed Antidotis ijsq; appositis arceantur, remedia nõnulla multos iam annos receptißima longoq; multorum usu probatißima subnectam, quæ an bene attigerim Medicis Lypsensibus præceptoribus meis amantißimis doctisq; omnibus iudicandum relinquo. Omnium itaq; primum in præseruatione, quam & curationem quandam concedimus, obseruandum est, ut cum deo patreq; nostro & domino Iesu Christo in gratiam reuertamur. Sanat enim solus languores deus (inquit Mesue) &

quod futurum eſt de languoribus prohibet, ſine cuius nutu Auenzoaris auctoritate nihil horum fieri contingit. Deo itaq; per amorem coniungamur, nec poterit uel ab humani generis aduerſario procurata peſtis nobis obeſſe. Deinde, ut iuxta ſolenne Medicorum (cito longe tarde) cõfeſtim fuga ſalutem queramus, idq; procul à patria, nec ante q̃ aura probe expurgata reuertamur. Mox ſibi quiſq; ab infectorum conſuetudine, loco, ueſtibus & publicis comicijs caueat.

¶ Vbi uero per mercaturam aut magiſtratum aut rem anguſtam domi fuga ſalutem quærere non licuerit ſex rerum, quas non naturales Medici uocant, ſumma haberi ratio debet, interq; illas potiſſimum aeris, non illius quidem ſimplicis, ſed pro ſpiritu alterando fouendoq; peroportune mixti, nimirum ut frigidus ſiccuſq; ſit, idq; ſi non natura, ſaltem arte ſequentiue decoctione. Recipe roſarum rube, lib. j. mirtillorum lib. j ſ. ſandali utriuſq; lib. ſ. probe conquaſſentur & in aceto odorifero bulliantur. Hæc etenim decoctio circũ circa per domus parietes irrorata & aerem mirabiliter rectificat & ſpiritum uitalem animalemq; mirumimmodum refocillat. Idem preſtant Mirti roſarumq; & ſalicis folia & boni odoris flores per triclinij et cameræ pauimenta diſperſi, acetum item & aqua roſacea. Alterant etiam aerem lignorum incenſiones, artifitioſæ fumigationes, Trociſci, thus incenſum & poma odorifera. Porro loca alta cumq; feneſtris ad Aquilonem

uersa pestis tempore meliora sunt. Post aerem in cibo & potu summum delectum haberi par est, nempe ut Euchimi sint boniq; odoris, ne cruditate quadam stomachum laborare contingat. Eiusmodi autem sunt Phasiani, Perdices, Turdi, Capi, Ficedulæ, Caro uitulina, Arietina & hœdina, ceteræ malæ, ex ijs autem maxime nociuæ sunt pingues. Fructus omnes præter Granati & citri poma mali sunt. Cerasorum prunorũ Persicorum & Mespilorum usus in estate nunq̃ sine uino esto. Vina uero sint paucifera boni odoxis, interq; illa uetera fermè limphentur. Quod uero ad preparandi rationem pertinet, assata magis q̃ elixa sumantur maxime hyemis tempore. Ad hæc cum aceto Arantiorum & Limonum succo utplurimum condiantur, Cinamomum etiam cum agresta idoneum fatiunt ferculum. Condiri etiam possunt cibaria sequenti puluere. Recipe Cinamomi subtilis gariophilorum añ. ℥ ß Tormentillæ Granorum paradisi dictami añ ℥ ß zuccari albi lib. j. puluerisentur & insimul misceantur. Est autẽ pestis tẽpore summopere cauendum, ne pisces simul & carnes eodem pastu ingerantur. Si uero cuipiam libuerit genium piscibus satiare, petrosis id fatiat, non uero salsis squamosisue. Horũq; malitiam seq̃ẽtis pulueris aspersione sustollat. ℞ ZZris electi ℥ ij. Croci ℥ j ß Cardamomi Galangæ liquiritiæ rasæ Gariophilorum añ. ℥ j Cubebæ ℥ ij, Piperis longi Macis nucis muscatæ añ ℥ ß radicis tormentillæ dictami albi sandalorũ triũ

Spicæ añ ʒ j, rasuræ unicornij ℈ ij Cinamomi ad pondus omniũ, fiat puluis subtilis,

Quũ autem uini loco plæriq; Cereuisia (situ nonnulli perperam uocant) utantur, nihilq;, quod sciam, de ea ipsa memoria dignum litteris mandatum sit, admonere paucis uolui, eandem alias ex hordeo alias ex auena & hordeo, alias etiam ex frumento concoqui, nec seruari undiquáq; eandem lupuli mensuram concoctionisq; formulam, eamq́; ob rem facillime colligi, nõ idem in qualibet temperamentum esse, obseruariq́; passim effectus illius diuersissimos. Siquidem hanc diorcticam illam oppilatiuam esse, hanc nutrire illam extenuare, hãc stringere illam soluere, hanc calefacere illam infrigidare, hanc inebriare illam rursus ebrietatem discutere, hanc preter lesionem neruorum ad capitis atq; adeo ad oculorũ dolorem illam uero ad Asma ducere, tantamq́; in hoc potu apud omnes uarietatẽ inueniri, ut si Ceres ipsa é cœlo descenderet, non facile, quæ pestis tempore seligi debeat, pronunctiarit. Habent einm singulæ fermé ciuitates, quod de sua prædicent, Ne autem inuniuersum, quæ optima sit, tacere uidear, mihi inter ea quæ præceptotes nostri de hoc potu sæpenumero contulerunt, opidoq̃ uehementißime placet, quod olim de Cereuisiæ prælatione sciscitantibus respondisse fertur Symon Pistoris Medicorũ ætate sua longe doctißimus quodq́; apud Arnaldum de noua uilla alicubi extare cõperio, ridiculum esse multis de cereuisia agere. Hanc

etenim, quæ procul ab infecto aere ex bonis granis cō=cocta boni saporis colorisq; & clara & spumosa sit, alijs longe anteferendam esse. Cæterum hoc quisq́; sibi ceu oraculum quoddā ob oculos ponat, in æsu potuq́; nihil equæ ac satietatem nimiamq́; epularum & condimentorum uarietatem execrandam esse.

In somno uero, uirium restauratore, id cumprimis obseruandum est, ut noctu non interdiu celebretur, fiatq́; una potius uice q̄ aliter, nec ita cito post absorptū cibum. Si quis uero interdiu dormire solitus esset, id sedendo in loco quopiam subfrigido faciat. Totoq́; hoc tempore summa adhibenda est opera, ne uel somnus uel uigilia laborem fatiat.

Porro exertitium forte quoad fieri potest caueri debet, cutis enim poros aperit, paratq́; ad accipiendum pestilentem aerem. Consulo tamen, ut moderate quis corpus ante assumptum cibum exerceat, leniter enim excrementosas superfluitates putrefactionem fatientes consumit, innatum calorem excitat, roboriq́; corporis non modo quicq̄ adijcit sed & uires tum animales tum uitales & firmat & restaurat. Rasis id docent uenatores, Huc balnea pertinere arbitror, quorum humida præsertim publica inuniuersum caueri, aerea uero sudoris uentosarumq́; gratia usurpari uelim.

Repletio si unq̄ alias tum maxime grassante pestili=

tate mala est, Siquidem cruditates in stomacho generat digestiuam aggrauat, excremētosas superfluitates, é quibus citra ullum mediun putredo fit, dissminat. Huius itaq; uitandæ gratia ut sobrie casteq; uiuas uideto. Nam & coitus subinde repetitus ualde nociuus est, ijs præsertim, qui sicca corpora habuerint, Corporis etenim spiritus resoluit, cutis spiracula reserat, paratq; ut pestifer halitus introiens hominem ipsum intoxicet. Vbi uero uxori obsecundandum fuerit, quarta castrensi uigilia cibo intra uentriculum concocto labori debito indulgendum est.

In ceteris uero (animi accidentia uocant) haudquaq̃ committendum, ut animus tristitia pestisq; timore distrahatur, mortisue aut aliarum terribilium rerum imaginatione maceretur, sed oblectetur Musicis uel cantilenis uel instrumentis, studeatq; illis, quæ letitiæ hilaritati & iucunditati esse queunt perpetuo.

DE PRAESERVATIONE A peste medicinæ benefitio CA. V.

QVVM autem humanum corpus non ita rarenter ad pletoriam Cacochimiamq; prolabatur, egeatq; subinde Medici opera, omnium primum in præseruatione corpus à putridis & excrementosis humoribus euacuare aut saltem humores putredini aptos adequare necesse est. Id autem quo pacto fiat quibusue instrumentis à

docto & probo Medico discendum est. Vbi uero Medici copia haberi nequit, cosulo ut sequens digestiuum per integros quinq; dies sumatur. ℞ Sirupi acetositatis citri uel acetosæ añ ℥ i Sirupi de bisantijs ℥ ß Aquarum buglossæ acetosæ Mellissæ añ ℥ j. Sexto die nulla extrinsecarum caussarum obstante utputa coniunctionis oppositiõis & simili scd'm omnẽ sexum hæc solutiua medicina hauriatur. ℞ decoctionis cordialis factæ cum decoctione aquæ buglossæ & absinthij ℥ iiij, in qua dissolue Triferæ persicæ à Mesue descriptæ ʒ vj Sirupi rosati trium infusionum ℥ ij. aut loco illius succi rosarum ℥ j. misce. Ceterum cum nusq̃ duo eiusdem temperamenti corpora inueniantur, diligenter curandum est, ut pro humoris peccantis dominio alia & alia medicina Triferæ adijciatur, v. gra. pro rubea bili Reubarbarum Tamarindi Mirabolani citrinij & Manna, pro pituita Turbit & Agaricus, pro atra bili polipodium Epithimus & folliculi sene, pro adusta uero materia fumus terræ aqua casei similesq;.

Infrascriptæ etiam pillulæ ab authoribus celebratæ si interpolatis diebus earum una cum modico uini sumatur, in præseruando summam habent efficatiam.
℞. pulueris ZZris electi ʒ iij, Infundatur in aqua buglossæ & rosarum añ. ℥ iij. buliant ad tertiæ partis consumptionem & exprimantur. In qua expreßione ponatur agarici electi pul: ℥ ß eamq; in sole de=

ſiccari facito, deinde ℞. Aloes loti ℥ j. Mirrhæ lotæ & croci añ. ℥ ß Agarici præparati ut ſupra ʒ iij. Mirabulanorum citrinorum ʒ ij Chebulorum ʒ j ß Dictami & Tormentillarum añ. ʒ j. Maſticis & cinamomi añ. ʒ ij. Spice ℈ ß Camphore grana iij. & cum ſirupo de pomis fiat pillularum maſſa, de qua ſumatur pro uice una ponderis ℈ ß. Sequentes quoq; pillulæ ſolutiuæ ſec'm modum, quem dicemus, non in peſtilentia ſolū ſed omni alio tempore utiliſſimæ ſunt, ℞ Reubarbari electi ʒ j ß Agarici trociſcati ʒ j Gariophilorum Spice añ. ℈ j. Corticum citri ʒ ß Seminis citri ℈ j Aloes ſuccocitrini electi ʒ iij. Mirrhæ ʒ j ß Croci boni ℈ ij. Tormentillæ ʒ ß ſandalorum rubeorum, ſeminis acetoſæ, Corall: rub. añ. ʒ ß boli ar. ʒ j ß. Camphoræ gra. ij. Agaricus in Oximellis infuſione ſtet horis octo, reliquis autem arte pulueriſatis & expræſſo deinde Agarico ſumatur expræßio, cum qua & ſyrupo de acetoſitate citri q. ſ. fiat pillularum maſſa, é qua cogente neceßitate vij pillulæ pro ʒ j. formentur, boloq; armeno aſpergantur. Sumpto itaq; per dies aliquot digeſtiuo accipiatur ʒ j. hoc eſt, vij. pillulæ numero. Poſtea ſingulis quinq; dieb, ſemel tres pillulæ ad Gallicinium ſumantur, uenterq; ſex horis genio defraudetur. Extant quoq; pillulæ Montegnanæ, de quibus magni nominis Medici pronunctiant in præſeruandis hominum á peſte corporibus nullam medicinam eis anteferendam eſſe.

Num autem uenæ inciſio mortales á peſte præſer=
uet, inter medicos non dum conuenire ſcio. Ego autē,
ſi nil obſtiterit, relictis interim opinionibus, non modo
ſanguinis dominio non apparente, ſed eo nec quali nec
quanto peccante uenam eamq́; baſilicam incidendam
ſuadeo, ut iij. aut iiij. ℥ eductis ſanguis pauliſper re=
frigeretur, certiuſq; de eius ſubſtantia & qualitate ſta=
tuatur. Siquidem inciſa uena longe uerius q̃ ex qualibet
etiam urinæ diſpoſitione iuditium de ſanguinis natura
fertur. Nec interim expectanda ſunt Aſtronomorum
decreta, ad que Chirurgici pincernarum more hederam
& Ricinia ſuſpendunt, nec etiam ad conſuetudinē pro=
uocandum, ſed ea in parte docti & probi Medici iudi=
tio ſtandum. Vbi itaq́; groſſus & ſubater apparuerit,
modis omnibus ſecundatio fatienda eſt. Atq́; hac rati=
one plæroſq; ſuperioribus annis Lypſie in ſeuiſſima eti
am peſte ſeruatos eſſe multi ſunt qui ad nos retulerunt,
Anteq̃ uero incidatur uena, aluus ſubducenda eſt, ſi nō
expultricis fortitudine, ſaltem balano. Quibus uero ꝑ
ætatem aut impregnationem uenam non licet incidere,
ſitiam eius loco ad ſcapulas ſeu lumbos cute phlebotho
mo interciſa defigant.

Porrò quum graſſante peſte cordi, uitæ ſpirituumq́;
origini, potiſsimum inſidiæ ſtruantur, Medicis quibuſ
dam conſultiſsimum uidetur, ut tertio à purgatione die
duabus ante prandium horis ſequens unguentum regi=
oni cordis applicetur, aut etiam continuo fixum ſuper
eo geſte=

eo geſtetur, ℞.baſiliconis recentis ℥ iiij. florum bo‑
rag.bugloſ.melliß. añ ℥ j.Doronici oßis de corde cer
ui añ ʒ j. Hiacinthi Schmaragdi ſaphiri añ ℈ j. Co=
ral: rubeo. ʒ j ß Farinæ amili ℥ j ß Farinæ ordei ʒ
ij Croci ʒ ß Violarũ roſarũ florum nenupha. añ ʒ
ij Coquãtur arte herbæ & cũ oleo de nenuphare q.ſ.in
corporentur,& addendo ceræ albæ q.ſ.fiat unguentũ.

Debent etiam adintra quottidie ante egreſſum é do
mo medicinæ Bezoardicæ ſumi,quarũ aliæ ſimplices,
aliæ compoſitæ, omni peſtifero ueneno ſui proprietate
reſiſtunt. Principio magni doctoris ſecretum eſt ad pre
ſeruationem, ut quis ieiunus bolum unum foliorũ rutæ
& bugloſſæ & acetoſæ cũ modico aceti abſumat, aut
iuglandem cum modico rutæ & ſale, aut dictami &
tormentillæ in umbra exſiccatæ & pulueriſatæ radicẽ
in aqua roſata ad ℈ ij quantitatẽ, idem preſtat cedua
ria uel ariſtologia longa uel Gentiana in ore maſticata.
Sua etiam cuiuſq; urina manc obſorpta ueneno poten=
tißime obluctatur, quemadmodum acetoſa,folia quer=
cina, pinpinella, ualeriana,baccæ lauri,millefoliũ, enu
la, abſinthiũ & ſimilia per ſe aut inpuluerem redacta.
Proderit quoq; tres de ſequentib. pillulis non ſolutiuis
mane accipere. ℞ terræ ſigillatæ ʒ j ß boli ar. ʒ iij.
incorporentur cum ſirupo acetoſitatis citri. Mirabilis
quoq; efficatiæ eſt infraſcripta confectio in morſellis à
celebri quodam experimentatore inuenta, ℞ boli ar=
meni præparati terræ ſigillatæ preparatæ añ ℥ ß. radi

cum dictami & tormētillæ sandalorum rub, añ ℥ j, rasuræ eboris corticū citri spodij añ ℥ ß Margaritarum ℈ ij Rubinæ Schmaragdi Saphiri Hiacinthi añ ℈ j. rasuræ Vnicornij ℥ ß subtiliter omnia terātur, & cū s.q. Zuccari taberzet fiat in morsellis confectio, cuius sumat omni mane cū modico aq̄ acetosæ morsellū unū iij ℥. Extant & alia preseruatiua multo probatiss, inter quæ est elctuarium de nucib. Item Electuarium de ouo, quo diuū Maximilianū usum fuisse tradunt. Item Electuarium præceptoris mei de Vnicornio cum aqua uitæ uirtutis efficacißimæ Circumferuntur etiam pulueres nobiliß, ut ille de Euforbio, item alius Montegnanæ inter quos mea quidem sententia sequens, quo plerosq; in peste & præseruatos & curatos esse scio, non omnino inter postremos habendus est. ℞ Radicum anthoræ. Tormentillæ scabiosæ, pinpinellæ, dictami, tunici, corticis citri añ ℥ j terræ sigillatæ ℥ j ß boli armeni præparati ℥ ij. Mirhæ electæ aloes epatici añ ℥ j Croci ℥ j Masticis ℥ iij. liquiriciæ ℥ ij. herbæ scabiosæ & acetosæ añ ℥ j. Zucca. candi. quartam j puluerisentur omnia inq; uitreo uel argenteo uase reseruentur. Vbi itaq; ieiuno stomacho prædicti pulueris ℥ j in uino aqua rasarum uel acetosæ limphato accepta fuerit, non eo modo die securum à peste reddit, sed infectū etiam dei adminiculo facillime liberat. Cæterum inter Medicinas omnes cor à pestilenti aere tuētes magna Galeni Teriaca prærogatiuam obtinet, post hanc Mitrida

tum. Debet autem teriaca in Hebdomada bis ad minus ſumi ieiuno ſtomacho a ℈ j ad ʒ j, A ſumptione uero ſex horis ieiunandum eſt. Pauperes et quibus theriacæ copia non eſt, eius loco allio, cepis, praßio, Iſopo ſcabioſa uel enula uti poſſunt. Ego autem hoc anno ſecretißimo & expertißimo puluere cum adſcripto electuario non infœliter uſus ſum. ℞ Radicũ dictami tormentillæ añ ℥ j Sandalorum rub. boli armeni præparati, terræ ſigillatæ preparatæ añ ʒ ij. Lumbricorum lotorum optime & exſiccatorum & pulueriſatorũ ʒ ij Nucis uomitæ ℥ j ß Teriacæ antiquißimæ ℥ ß ſeminis acetoſæ ʒ iij de quibus omnibus fiat puluis & bene exſiccetur & in præuiſionem detur ſingulis dieb. ℈ ß cum uino bono aut miſceatur cum ſequenti electuario. ℞ Zuccari candi ℥ j ß ZZris albi ℥ j Camphoræ ℥ ß. Tormentillæ dictami añ ʒ ij ß oßium de corde cerui ʒ j ß. raſuræ unicornij ʒ ß puleriſentur omnia ſeorſim & cum Teriaca & Mitridato q. ſ. incorporentur ¶ Poma etiã odorifera ſpiritib, ne peſtilenti aeris corruptione ledantur, magno ſunt adminiculo. ℞ Dragãti electi ℥ j infundatur in aqua roſata, poſtea cũ mollificandum fuerit, inpaſta ſequentes cum illo pulueres. ℞ Storacis Calamitæ ʒ ij ß. Laudani ʒ ij. belgioi electi ʒ ij. pulueris radicis ireos Gariophilorum añ ʒ ß Camphoræ Muſci añ ℈ ß Ambræ ℈ j, miſce omnia & ad decentẽ duriciem redigantur & fiat pomũ, quod auri uel argẽti reticulo incluſum parua cathena in bra

chio ligatum gestetur. Aliud & membrorum spiritualium uehementer confortatiuum. ℞ Ligni aloes storacis calamitæ, rosarum immaturarum Lambruscæ añ ℨ j. Camphoræ ℨ ß Ambræ ℈ ß. Musci electi gra. iiij. aquæ acetosæ, nenupharis añ ℥ j ß. aquæ maioranæ ℨ ij. terantur omnia per se & postea cum aquis incorporentur. Quib. uero curta domi suppellex est, spongiam aceto rosaceo plenam iuniperinaq; capsula inclusam subinde naribus admoueāt, manusq; & faciem ex aceto & aqua rosacea sæpissime lauent,

Multum etiam ad præseruationē facit gingiuas & dentes aceto squillitico indies fricare sequentiq; puluere refricare, ℞ Salis cōmunis usti Marmoris albi pumicis Corallorū alborum añ ℨ ij Corticum citri ℨ j ß Masticis ℨ j Musci gra. iij. misce omnia simul & subtilissime terantur. Hæc fricatio petia purpurea facta nō modo á peste præseruat sed gingiuas fortificat, bonū oris odorem dentiumq; candorem producit. Hæc sunt Antidota ad præcautionē longe optima, inter quæ tria sequentia, utputa alijs prestantiora, meo iudicio potissimum obseruanda sunt, Aerem pestilentem cito fugere. Longo ab illo abesse, & tarde ad eundem reuerti.

DE PRAECAVTIONE EORVM qui intoxicatorum curam gerunt,

CA. VI.

NE autem eorum corpora, qui infectorum gratia ingenti se periculo exponunt, contagione facile trahan

tur, diligentiſsime obſeruandum eſt, ut toto illo tempore, quo infectis inſeruiunt, ſingulis diebus mane. ʒ ß teriacæ in optimo uino accipiant, manuſq; & faciem nũc uino nunc aqua acetoſæ nunc forti aceto ſedulo lauent, interq́; ſe & egrotum conſurgentis flammæ ignem, cui odorifera iniecta ſint, teneant, cameræq́; aut triclinij pauimenta & parietes aceto aut aqua roſacea interſpargant, nec interim negligant odorifera & trociſtos, Egrediantur q́; aliquoties in publicum hauriendi aeris cauſsa, ſpirantib. præſertim à ſeptentrione uentis, quos Medici tam ſalubres tum eſſe, ut etiam apertis feneſtris excipi debeant, pronunctiant. Ab ægroti uero anhelitu ſibi q̃maxime caueant, eamq́; ob rem in editiore quodã loco intoxicatum decumbere fatiant. Eamq́; uictus rationem, quæ ante a nobis præſcripta eſt, per omnia obſeruent, Pomaq́; odorifera aut ſaltem ſpongiam aceto rutaceo plenam & indies renouatam ſubinde olfatiant, Eoq́; pacto futurum ſpero, ut intoxicatorum curam gerẽtes dei auxilio hijs remedijs tuto inſeruire queant.

DE CVRATIONE EORVM, qui peſte affecti ſunt.
CA. VII.

RELIQVVM nunc eſt, ut affecti peſte curandi ſint, breuiſsima quadam Methodo præſcribere.
Anteq̃ uero curandi rationem doceam, operæpręctium me facturum putaui, ſi paucisſ, ſigna, quib. ſe quiſq; in

fectum colligere debet, adduxero. Solet enim aliquoties nobis hostis imponere, nosq; uelut incautos opprimere. Tum ergo peste occupatum & infectum te esse credito, cũ mixtim in corpore nunc rigorem nũc calorem senseris, aut cum brachia & crura simulq; totum corpus ualde delassata fuerint, aut cum caput insolito quopiam dolore laborauerit, ad hæc, cum oculi somni amore in statione permanere nequiuerint, cibiq; abominatio seu nausea cũ linguæ ariditate te habuerit. Vbi itaq; eiusmodi & similia signa apparuerint, diligentiß. quo in loco à streatu puncturæ fiant, obseruandum est, eô enim pestilentiß. uirus erupturum est. Quum autem non fiat citra febrem talis eruptio, omnium primum de febrẽ pestilentiali, quam utplurimũ aeris contagio secum adfert, statuendum censeo, eam non modo sola uenenositate (quod plærosq; sentire uideo) à putridis febrib. differre, sed in hoc etiã, q in pestilentiali putrescens materia uno loco conclusa tenetur, in putrida uero non item. In pestilentiali etiam humor cito putrescit, in putrida uero paulatine. Prouenit autẽ ex agentis fortitudine citius q̃ pacientis dispositione, affligitq; alias quiete alias manifeste. Nam hac ratione bifariam eam in quietam & manifestam secernimus, Signa distinctiuá prioris, in qua modica putrefactio est, hæc sunt. Quieta est exterius & conturbans interius, scd'm plurimũ perdens, & q in ea neq; eger neq; astans caloris multitidinen percipit, & aliquando non alteratur pulsus &

urina magna alteratione, & ob eam rem ipsa ueloci ter est interfiticns. Hanc nonnulli Diarriam pestilentia lem uocant. Magis uero manifestæ, quæ nimirū multæ putredinis est, signa perhibentur. Inflammationis mag nitudo, syncopis, spirandi difficultas, uehementia sitis, linguæ siccitas, nausea, mollficatio uentris, permixtio ra tionis, pulsus scd'm plurimū paruus & frequens, dispo sitio Hydropisi similis, fluxus uentris cholericus & ali quādo melancholicus, egestiones fedæ et aliquādo spu= mosæ fetidæ. Vrina uero aquosa cholerica aliquādo ue ro Melancholica; uomitiones Melæncholicæ post uero cholericæ, ad extremū sudores fetidi. Hæc sunt signa pestilentialis manifestæ, quæ tametsi maiori ex parte utriq; conueniant, coniunctim tamē unam ab altera cui dentißime secernunt.

¶ Curatur autem febris pestilentialis alias dietica, alias pharmaceutica, alias chirurgica, duabus alias die= tica & pharmaceutica, aut etiam omnib. Primum itaq; omniū, quantū ad dieticam attinet, hoc loco quæ supra de intoxicati aeris rectificatione disserui, obseruanda sunt, danda etiā est opera circumsistentiū gratia, ut edi= tiore quopiam in loco infectus decūbat, idq; duabus in cameris, aceti irroratione usiletorūq; & fumigiorum odore probe expurgatis, in quarū altera interdiu in altera noctu interquiescat. Cibi uero & potus pro fe= bris pestilentialis dispositione ordinandi sunt. Vbi itaq; quieta & lenta fuerit, auiculæ aut pulli assati cū agres

ta uel granatis uel limonibus uel citrangulis conditi cũ modico uini, cuius quinta pars ueri frigoris aqua ſit, ex hibeantur. Si uero cũ multa putredine aut magna ebuli tione ſeſe manifeſtarit, uirtute conſtante ſubtiles cibi ijq; frigidi deſiccatiui, acetoſi, facilis digeſtionis et pau cæ quantitatis offerendi ſunt. Quales ſunt Granata me ſa, acetũ, agreſta, grana berberorũ, ribes, acetoſitas ci tri, limones, citranguli ſimileſq; , ijs enim putrefactioni reſiſtitur, reliqrorũ ciborum malitia corrigitur, appe= titus excitatur, ac calor febrilis extinguitur, Aquã uero ordei frigidam, in qua auri lamina extincta ſit, bibãt ſu bito, idq; in bona quãtitate. Siquidem paulatine parũq; pro una uice ebibita caliditatem excitat uehementerq; obeſt. Vbi uero deficere uirtutem conſtiterit, pullorũ carnes cum uino meraciſsimo aqua roſacea diluto exhi bendæ ſunt.

Proxima poſt dieticã phlebothomiæ cura eſt, in qua maximũ ſæpe errorem contingere haudquaq̃ mirum eſt Nec enim in qualibet febre peſtilentiali ſanguis mitten= dus eſt, ſed derepente ad Bezoardicas accelerandũ, quẽ admodum in peſtilentiali quieta, quæ modicæ putredi= nis eſt, in qua ueneni malitia citra aliorũ etiam humorũ putredinem adeo ſolet cordis ſpiritũ inficere, ut niſi me dicinis alterantib. in tempore ſubuentum fuerit, primo ſtatim die interficiat, fœtẽte præſertim anhelitu. In ma nifeſta uero, quæ multæ putredinis ebulitioniſq; eſt, nõ poteſt non uehementer prodeſſe præſertim copioſa fer

meq; ad animiq; defectionem admissa. Hac enim infrigidatur corpus, uirusq; ipsũ ad emũctoriorũ loca elicitur reliquumq; deinde putredinis hoc facilius à natura potentiore subigitur, Ceterum in qua parte sanguis detrahi debeat diuersa medicorum sententia est, Alij enim diuertẽdi gratia ex aduerso trahendum opinantur, Alij uero salutari doctißimorũ expertißimorumq; & antiquißimorum medicorũ sententia euidenti ratione & experientia præsertim à præceptoribus usu cõfirmata in affecti lateris parte sanguinem detrahendum esse præcipiunt, idq; non in pleuritide solum sed etiam in pestifero abscessu. Quorum santentiam ego in præsentiarũ secutus eá in parte, in qua puncturæ sentiuntur. quæq; breui abscessum emissura est, sanguinem mittẽdum esse censeo, nec enim conuenire arbitror, ut ab extima corporis parte ad cordis atq; adeo ad oppositi lateris regionem uirus ipsum postliminio reuocetur, cordisq; spiritum intoxicet, qua de re doctiß, Brissoti extat Apologia. Ne autem in ipsa detractione quid periculi accidere queat, consultiss. fuerit incidere uenã in habitaculo, peroportune clauso, aere prius fumigijs & rebus fragrantibus rectificato, ne forte intoxicatus aer introiens bonum & sanũ sanguinem putrefatiat & intoxicet suo pestilenti spiraculô. Quæ autem uenarum incidi debeat, paulo post de Chirurgia docebimus.

Educto itaq; sanguine putredineq; in alijs etiamnũ humoribus existente proxima ad pharmaceuticam uia

est. Hac etenim Choleræ phlegmatis Melancholiæ aut mixtorum etiam humorum febrilem infectionẽ corrigi inconfesso est. Quo autem pacto in pestilentiali febre pharmatia uti conueniat, inter medicos parum conuenire uideo, Alijs enim derepente ad solutiuam medicinam accelerantib, non desunt, q corporis desiccãdi gratia modis omnibus lenientia præmittenda esse contendant, Quorũ sententiam tantum abest ut amplectar, ut in pestilentiali quieta neq; pharmaciã neq; phlebothomiam citra ingens periculum admitti posse contendam, Quotus enim quisq; facta phlebothomia aut exhibita solutiua medicina derepente mortuus est? Quamprimũ itaq; se quisq; infectum esse timuerit, ad Bezoardicas medicinas, quarũ de præseruatione mentio facta est, ad Epithimata alterantia confortantiaq; & ad mixturas Cordiales acceleret, aut etiam sequentem de armeno luto potionem absorbeat. ℞ aquæ rosaceæ ℥ ij uini albi odoriferi ℥ j, luti armeni subtilißime triti ʒ j, miste ꝑ potu, quem si non euomuerit aut reingestum detinuerit, spes est in pestifero conflictu aut ante conflictum etiam naturam superiorem fore, utile quoq; fuerit celebrato puluere simul cũ Electuario uti superq; illo probe co opertum insudare, Vbi uero pestilentialis manifestæ signa apparuerint, post incisam uenam ad forte solutiuũ accelerandum est, iuxta illud, extremis morbis &c.
Idq; in morbi statim initio. Nã inchoãtibus morbis &c nec enim indutias dat morbus ille, Cõfestim itaq; à secta

uena saluberrimum hoc refrigeratiuum sumendum est. ℞ sirupi de acetositate citri sirupi de succo acetosæ, añ ℥ j. aquarũ acetosæ buglossæ añ ℥ ij. miste actuq; frigidũ exhibeto, sexta deinceps hora citra ullã formi dinẽ sequens solutiuũ ꝓpinato ℞ Triferæ ꝑsicæ ʒ vi. Electuarij de psilio diaprunis solu: añ ʒ j ß Coralinæ ℈ j. fiat bolus aut dissoluatur in aqua acetosæ. Porro si unq̃ alias tum maxime hoc loco sollers medici iuditiũ exigitur, ut pro patientis dispositione dosim uel augeat uel minuat, proq; humoris peccantis dominio apposita solutiua triferæ persicæ adijtiat.

Quũ itaq; noxius humor apposita Pharmatia educ tus fuerit, dragma una secretißimi pulueris cum electu ario de unicornio, quorũ descriptiones de præseruatio ne extant, in uino uel aceto rosaceo pro inuasionis qua litate commodißime accipitur, uiruſq; pestiferũ in lec= tulo probe cooperto per sudorẽ elicitur, Efficit enim puluis iste præsertim electuario admixtus, ut uenenosa materia iam iam in principes corporis partes radices actura nulla sua qualitate sed dumtaxat substantiæ cor pulentiæq; ratione de centro ad circumferentiã expella tur, Vbi autẽ acutißimus morbus indutias dederit, totũ= q; triduum paciens superuixerit, digestiua & solutiua non secus ac à nobis de præseruatione dictũ est, exhiben da sunt. Atq; deinceps in hoc maxime conandum, ut se uißima morbi accidentia appositis remedijs opidoq̃ dili gentißime arceantur, interq; alia potißimũ syncopis fri

catione, & dolorosis extremitatum ligaturis, manuūq; & pedū in calidam aquam immersione, perpetuoq́; aceti & aquæ rosaceæ olfatu. Nam cetera nempe spirandi difficultatem, mentis tristitiam, cibi abominationem insomneitatem, capitis dolorē, linguæ nigredinē somniq; profunditatem unicuiq; fermé obuiū est propulsare.

DE BVBONIS CVRA CA. VIII.

NON uero est, quod pestis tēpore bubones seu abscessus semper expectari debeant, præsertim in febre pestilentiali quieta, tum enim adeo præsens est uenenum adeoq́; hominis naturam debilitat, ut ea neq; audeat neq́; poßit ipsum toxicum à præcipuis corporis partibus ad emūctoriorū loca propellere. Quādo uero ipsa natura se defendere atq́; toxicū à corde expellere pro uiribus nititur, tunc eisdem in locis oriuntur apostemata, ubi maxime ipsa natura patitur, Pro quorum cura Chirurgica opus est. Apparēte itaq; bubone primū omniū obseruandū est, statim ne cum febre erupuerit (tum enim à bezoardicis auspicandum) an potius altero post febrem die, tum enim, si nil aliud prohibeat, eiusdem lateris uena ferme ad deliquium animi secanda est. Delectum autem in uenis haberi necesse est. Nam si post aures bubo apparuerit, cephalica inter pollicem & indicem, si ad Isophagum gulamue, uena sub linguæ radicē, aperta tū prius cephalica. si ad alas, media, si ad inguina, Saphena sub pedis clauicula, seligenda est. Si uero

pestiferam febrem tertio aut quarto die bubo conseque retur, phlebothomia ceu parum utilis posthabenda est, procedendumq; cum confortantib, reprimentib, & cordialib. nihilq; minus committendum, q̃ ut fortibus solitiuis quis euacuetur. In usu uero localium diligẽtissime prospiciendum est, ne frigidorum cataplasmatum appositione uirulenta materia postliminio ad principes corporis partes retrudatur. Superponatur ergo sequẽs emplastrũ uulgo etiam laudatum. ℞ Ccpe unũ grossum, quod in medio perforatum teriaca repleatur, inq; uiuẽti cinere torrefiat, et pistetur, apostematiq; applicetur, Porró succus ex cepe ea ratione assato elicitus & ex uino albo, cui parum aceti admixtum sit, absorptus epidemiã curat potẽtissime, emollit quoq; abscessũ sequẽs emplastrũ multo calidissimũ, à plerisq; potentialis cauterij loco usurpatum. ℞ Armoniaci ℥ ß. bdelij Serapini añ ʒ ij sinapis piretri añ ʒ j Euforbij Castorei añ ℥ ß uitrioli ʒ iij ficuum pinguium numero iij. fermenti acris ℥ ß. simul in uino dissoluantur & colentur & ad alia misceãtur, & addantur Cantarides abscissis alis capitib. & pedibus numero .x. & fiat emplastrum seu massa. Neq; uero est, quod perfectam maturationẽ quis expectet, nam ante illam etiam phlebothomo aut rasorio cultro aperiendus est, aliorumq; apostematum more curandus, ita uidelicet, ut euacuata sanie abscessus emplastro ex melle & sarcocolla equaliũ partium expurgetur, oleoq; uitellorum ouorum seu balsamo cicatrix

obducatur.

DE CARBVNCVLI CVRA. CA. IX.

CARBVNCVLVS autem nō secus ac ignitus carbo adurens, posthabitis aliorum curis, meo iuditio ita tractandus est, ut affectus locus statim ab initio satis ꝓfundo phlebothomi impactu starificetur, sanguisq; uenenosus adhibita cucurbita euocetur. Cum autem euocatus purulentam carnem gignat, utilißimum fuerit applicare quod bonam carnem à mala separet. Id autem certißime sequenti fit Emplastro bis interdiu mane & sero abscessui apposito. ℞ Rute recētis M j fermenti ℥ ß. Piperis ʒ j sal, communis ʒ j ß. ficuum siccarū pinguium numero iij, pistentur omnia simul, inq; modum Emplastri formentur, facta uero carnis bonæ iuxta atq; malæ separatione utendum est unguento digestiuo, deinde, ut in aliorum ulcerum curatione, incarnando & consolidando procedendum. Memineris tñ etiam adq; etiā, ne medicinas Bezoardicas & Epithimata cum confectionibus & mixturis cordialibus prætereas. Nam ubi uenenū anticipauerit, citiusq; ꝗ medicina ad cordis spiritū ꝑuenerit, actū ferme & conclamatum de hominis uita est, Sua enim præsentia non modo alterantes medicinas a corde expellit totumq; spiritū intoxicat, sed hominem ipsum primo statim die citra etiam apostematis eruptionem interficit.

¶ Morbillorum & uariolarū curam utputa uulgo etiā traditam breuitatiscausa sciens prætereo.

Habetis Consules & senatores optimi præcauendæ & curãdæ pestilitatis Methodum: in qua si plus equo prolixior fuerim: rei magnitudini non mihi tribuite, nec enim licebat rem breuius, q̃ necessitas sinebat exprimere. Porro si quenq̃ auctoris iuuenta seu nouitas offenderit, sic existimet uelim, hunc nihil de suo sed de aliorum aceruo congessisse, quod aduersus pestilitatem sit adminiculo. Quod si ne tum quidem auctori molestus esse desierit, aut meliora receptioraq; scribat, aut odio plusq̃ Vatiniano dispereat, rumpanturq; isti ut Ilia Codro. Val. Lypsiæ ex ædibus soceri. Anno à partu uirginis supra Millesimũ quingentesimũ uigesimo septimo, Calen. Decemb.

Io. Reuschius scribebat,
Nicolaus Faber excudebat.

D. Vlibaldo Sterkamero(?),

S. Etiamsi [illegible] stabant sensu

non ita facile posse intelligi,

nihil tamen, quam ad te labor

esse minus difficilem(?), ad [illegible]

[illegible] itaque vere dicetis, et

[illegible] quodammodo [illegible]

[illegible] amare ne [illegible] Val.